

Bibliothèque numérique

medic@

**Cordelle, Jean - candidat / Patin, Guy -
président. - Estne Theriaca pestilenti
febre jactatis venenum ?**

1671.

Paris

Cote : ms 79 n°1240

Q U Æ S T I O M E D I C A

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM, DIE JOVIS V. MARTII.

M. GUIDONE PATIN Doctore Medico, & Professore Regio, Præsidi.

Estne Theriaca pestilenti febre jactatis venenum?

EXQUISITA febris pestilens, à peste quæ latius patet, nec unius est morbi nomen, diversa, omnium est febrium infestissima, ferè contagiosa, & primâ incurfione furens: ab ea nihil induciarum, fraudis verò plurimum: plerumque enim dum clementiæ simulatione blanditur, repente ægros in ipsis quas struit insidiis jugular: sæpius ferocitate exultans, rapit, sternit, latèque vastat omnia. Nonnunquam tamen, sed rarius, posito furore ad salutem convertitur: Tameñ nec spiritibus, nec humoribus, nec Cordi ipsi parcat, diarsa, aut hectica nulla est. Frequenter facili, sed terro spiritu, urinisque, substantiâ, colore, ac sedimento valentium similibus, interdum & miti calore rudioribus imponit, pulsû, (qui suis ictibus vitæ gubernacula temperat) languido, incertoque minus minus & ipsis in quibus totus homo est oculis, aut micantibus, aut torvis, & cum reliquo vultu squalentibus. His si adsint fatidus sudor, iniques vigilia, vomitus, syncope, quique artus alliget languor, vel si absint bubones, & carbunculi, testes locupletes ac optimi, non adumbratam, sed expressam diræ febris effigiem informabitis.

AD istam luem excitandam externæ internæque causæ conspirent necesse est: quæ foris illabuntur, neque nocente cælo devocandæ; neque à truci Martis spiritu, neque ab arcano influxu, neque ab ignitis cometis, ne quidem id mali portendentibus, neque à sparsio veneno, neque ab irato Numine deducendæ; sed à fecundissima illa morborum procreatrice, aëris iniquioris putredine excellenti atque eximia. Is sive sit perversâ spirantium ventorum, vel forte unius plumbei austru aurâ inquinatus, sive diuturno hyemis tepore, assiduèque imbribus perniciosè depravatus sit, sive à sententiis, coenosis specubus, disjunctivè passim cadaveribus labem acceperit, simulatque per conspicuas, & quæ sensum fugiunt vias, infert se in viventium corpora, facili quidquid contraxit vitij comportat, quocumque penetrat: nec tamen omnes quibus triste virus afflat, febre muldat acerbissimâ: sed eos damtaxat, qui jam aliquam ægotandi causam suo sinu gerebant; ut nec ab his inficiuntur quicumque exhalatam per corporis labefactati spiramenta terram mephitim contagione hauerunt: perinde nimirum ut cujusque corpus affectum est, ita aut domitum virus exiit, aut ab eo contaminatum ægotat, varique existunt casus, mores, & eventus morbi.

TANTI mali vis quæ nec in animalia omnia, nec in omnes homines promiscuè sævit, eos potissimum adocitur, quibus ex pravo, uberiori, vel malè confecto alimento reses impuritas plurima clam cum ipsis visceribus æstuat, & quibus tenuiora excrementa tentato per cæcos ductus exitu prohibita, atque in serum acre demutata, toto corpore luxuriantem polluant sanguinem, qui obfcanioris putredinis labe aspersus, ut primùm incanduit, flammamque in vitæ arcem jactavit, illâ statim correptum corpus universum imparis facibus ardet, miserèque consumitur. Summæ istius putredinis intimæ, quæ nihil aliud est, quàm succorum à proprio temperamento recessus, prope quantus rerum ad ruinam festinantium, tantâ est pernicies, ut aliquando citra ullam conspurcati aëris aspirationem, pestilens nascatur febris, pro vario ad quem ascendit gradu, aliarum putridarum more durior, aut mitior. Propterea ad eam proclives sunt qui peregrino humore scatent, magisque ubi calorem conduplicat æstus: & promiores sunt juvenes, senibus, sanguinei, melancholicis; intemperantes, siccis.

QUASI parum sit adversus febrem strages edentem, nec secus ac emissus à cavea Leo, ferè quotquot arripuit truculentem ferrum distringere, venarumque tabum quo pascitur, manu liberali profundere, reliquam quâ gaudet illuviem omni arte subducere, ejusque flammam magnâ aquæ vi comprimere, posterior ætas quò ingeniosius mederi videretur, nobilior operosiusve caderent aut fervarentur ægroti, adhibuit etiam aurum, uniones, sappheiros, smaragdos, aliosque lapides pretiosos, at ne ex eorum usu esset in tumore animus, admovit & animalium saniem, vomicas, calculos, cornua, strigmenta, maris ejedamenta, ipsam quam calcamus terram, quâque hæc suo sinu cælabat pestes: quin progressa longius fero morbo, feras venenatasque animantes opposuit, ipsaque adeo venena, etiam ex collo, velut ad ostentationem pendentiâ. Tot inter merces, ex hisque luxuriosè constatas splendidi nominis confectiones innumeras, quibus mortis appropinquatione trepidis, suâque omnia ut vivant, datus ægris illudunt vasti, sibimetipsis imperiti, sedet quasi princeps & Regina Theriaca, eorum ex quibus coaluit numero, pompâ, atque apparatu percelebris, callidèque Galeni commendatione, falsâ licet, non mediocrem in auctoritatem adducta.

QUI pestilenti febre exagritatis Theriacam objicit, ne ille ignorat sancitam à Medicorum Phebo, senatûque universo legem, vel bellus descriptam, quæ morbum quemque jubet oppugnare præsidii, omni qualitate ipsi adversâ ornatis. Furor est plusquam sexaginta calidis, siccis, acerbis, rosuriisque sen stirpibus, seu pentis undeliber rebus aliis, quasi toridem toribus, ægrotum inter medios ignes versantem adurere, febremque ipsam, ut furenter efflatur, infligare. Nec cuiquam melioris doctrinæ fontibus rigato veniet in mentem Theriacam ex alienissimorum, & pro cuiusque libidine mutatorum, adjectorumque medicamentorum confusione compactam singulari privilegio Cordi robur conferre. Certè nisi ad clarissimam veritatis lucem maliciosè connivemus, ea sola robur addunt, quæ in sanguinem, partiumque substantiam abeunt, inter quæ citissimè juscula, vinum. Contende si voles iis etiam quæ morbum excindunt, firmari vires; quod eò hæc resurgant promptius, quò ille premit minus. Contende & agressâ, oxytriphyllo, oxalide, berberis, oxyacanthæ, arantiorum, granatorum, limonumve succis, qui & putredinis lui adversantur, & febris ardore flagrantibus subveniunt, maceratam Cor recreati velutque rescii, ultro assentiemur: at febris æstuantis æstum aucturâ Theriacâ vexabit nemo, nisi quem summa vexet rerum insidia.

Est ergo Theriaca pestilenti febre jactatis venenum.

Proponebat Lutetiæ JOANNES CORDELLE, Hamus, A.R.S.H. 1671.